CASTI INNOCENTIS
ANSALDI
ORDINIS PRÆDICATORUM
ORATIO
Ferrarienſi in Atheneo habita

In Dedicatione

PUBLICÆ BIBLIOTHECÆ

ANNO

MDCCLIII.






FERRARIÆ apud Joſephum Barberium *Superiorum Facultate*.

PRÆCLARISSIMIS NOBILISSIMISQU
VIRIS BARTHOLOMÆO MASIO SAPIEN
TUM JUDICI, GUIDONI BENTIVOLO
ET CHRISTINO BEVILAQUÆ REI LIT
TERARIÆ CURATORIBUS, CETERIS
QUE FERRARIENSIBUS DECEMVIRIS
ORATIONEM HANC SUAM IN DEDI
CATIONE PUBLICÆ BIBLIOTHECÆ HA
BITAM D.D.D. CASTUS INNOCENS AN-
SALDUS ORDINIS PRÆDICATORUM





ETsi is ego sum, qui verba ex hoc loco facturus, hilaris semper ad dicendum accesserim, nunquam tamen adeo vehementi actum me intellexi jucunditatis affectu, quanto hodierna die perfusum cumulatumque esse contestor. Quum enim praeteritis annis sermo a me institui solitus esset de ratione Theologiae, aliquam fateor, non poteram non suscipere voluptatem, cum ob nobilissimi genus argumenti, tum etiam quod Viros alloquerer bonis artibus, sacrisque praesertim studiis expolitos. Verum, quam suavior jucundiorque se se mihi hodierna objicit luce dicendi caussa, singulare vestrum, PATRIAE PROCERES PRAESTANTISSIMI, celebraturo bene-

cium, verbaque facturo de Ferrarienſi publica Bibliotheca, tam magnifica, tam ſplendida, tam ornata, quam manifeſtiſſimo omnium Civium plauſu hoc anno dedicaſtis; præſertim quum meus ſit ad Vos ſermo dirigendus, Vobiſque, et meo a me, et eorum præſertim nomine, quos mihi vel officiorum, vel ſtudiorum neceſſitudine conjunctos puto, maximæ ingenteſque agendæ ſint gratiæ et immortales! Quid enim fauſtum fortunatumque magis, quid magis decorum evenire mihi poterat, quam in frequentiſſima hac multitudine, quæ ad audiendum convenit, beneficii veſtri magnitudinem ſaltem declarare? Equidem ſat novi, tam grandi, tamque inſigni muneri imparem futuram Orationem meam: Verum quis ea foret ſermonis vi excultus, eaque polleret dicendi facultate, meritas ut Vobis referre grates, et pro dignitate unquam poſſet, compoſiteque et diſerte omnium erga Vos ſenſus animi exprimere? Eo certe nomine plus Vobis debemus, quam ut unquam ſolvendo eſſe valeamus. Etſi igitur vereor ne arrogantis ſit adhuc velle dicere, quia tacere tamen, turpe magis eſſet, quia eſſet ingrati, date mihi quæſo et obſecro hanc veniam, ut facinus hoc illuſtre veſtrum qualicumque proſequar prædicatione; idque beneficio, quod excelſo animo tribuiſtis, generoſiore animo adjicite, ut non ſatis dignas de eo Vobis haberi grates permittatis.

Jam vero qualem quantamque nobis, STUDIORUM PRÆSIDES BENEFICENTISSIMI, contuleritis utilitatem omnes arbitror facile intelligent, qui quanta ſit publicæ neceſſitas Bibliothecæ, quaque animi magnitudine, qua tempeſtate, quo loco, qua denique forma et elegantia, quantoque eam exſtruxiſtis apparatu, animadvertent. Et ſane, quam imperVium in præſens ſit abſque ingenti Librorum multitudine in ſtudia non dicam vehementer incumbere, ſed in eiſdem aliqua ſolum etiam cum laude verſari, ji tantum ignorare poſſunt, quibus incompertum eſt, quantus ſit cum veterum, tum recentiorum etiam numerus Scriptorum, qui Diſciplinas omnes ſummo labore, ſumma induſtria, ſummaque felicitate

per-

pertractarunt. Præter enim præstantissima tot venerandæ Antiquitatis ingenia, quæ veritatis inveniendæ viam seris Nepotibus præmonstravere, quot, obsecro, egregii præclarissimique Viri a renatis in Europa litteris per operosissimas scientiarum semitas rursus incessere? quot erudera vere monumenta? quot systemata excogitavere? quantis naturæ cognitionem tentavere experimentis? quot quantaque in lucem protulere acute et ingeniose adinventa? Ut autẽ hi absque assidua vetustiorum, suique temporis Auctorum lectione per morosum artium et scientiarum iter nunquam incedere sine errore potuissent; ita et Nos nisi præviis prioribus illis non modo scientiarum Inventoribus, sed jis etiã qui tantos Duces feliciter sequuti sunt; et nisi eorum in Elucubrationibus diu noctuque meditandis crudeli prope diligentia versemur, ad optimarum quidem studia artium animum appellere poterimus, nunquam jisdem vero ita devoveri, ut absolutam perfectamque humanarum, divinarumque cognitionem rerum consequamur. Num fuisse futurum quis putet, ut Cælius Calcagninus, Lylius Gregorius Giraldus, Ludovicus Areostus, Antonius Musa Brasavola, sexcentique alii, qui clarissimæ huius Urbis nomen et gloriam immensum protulere, tantam ad virtutem, tantamque ad sapientiam pervenire potuissent, exindeque tantum decus, et tanta consequuti fuissent laudum præmia, nisi innumeros Scriptores consuluissent, innumeras lustrassent Elucubrationes, innumeros evolvissent Commentarios, et, Apes veluti ingeniosæ, quicquid pretiosioris succi infinitis erat in floribus prudenter decerpentes, sua denique in mella derivassent?

Quum vero hi florerent splendidissimorum ætate Mæcenatum, qui Musarum olim hujus Urbis dulce decus et præsidium fuere, nil sane mirum, horum eos ope, omni libraria supellectili affluxisse, omnique Uoluminum genere abundasse. Uerum quam opposita foret hodierni temporis conditio, nisi Vos, PATRIÆ PROCERES AMPLISSIMI, Regios prope induissetis animos, opemque inopia Librorum laborantibus

 muni-

munifice cumulateque tulissetis? Habuit, sat scio, inclyta hæc Civitas, exactis etiam felicibus illis Mæcenatum temporibus, Viros illustres, omnisque artis et disciplinæ gnaros, et egregiis studiis institutos. Verum ejusmodi, vel rem bene amplam, uberrimam, copiosissimam possederunt, qua sexcenta sibi Volumina immenso etiam pretio aquisivere, ut duo illi Cardinales Bentivoli, qui maxima hujus Patriæ lumina fuere; vel, ut de tot aliis cuique Vestrum notum est, nonnullos sibi Libros improbo labore, domesticæque detrimento rei comparavere; vel alio sub cælo ea invenere, quæ heic desiderabantur, scientiarum adminicula et subsidia. Nemo enim est tanta vi et acumine ingenii, tantoque discendi ardore præditus, ut absque idonea Librorum copia grande quid, præclarum, elatum, magnificum in re litteraria et splendidum non dicam perficere, sed etiam versare se posse animo confidat. Certe audenti conantique hoc in genere ardua, nisi præsto sit ingens Scriptorum manus, magnus sine viribus ignis incassum furit. Qui autem fieri posset, ut privatæ conditionis homines in maximas aliquando rerum omnium difficultates et angustias conjecti, solaque diuturna paupertatis patientia ornati, optatam sibi Voluminũ congeriem compararent, quum et eorum non sit impensas facere supra modum, et hodierna studiorum ratio immensos Librorum sumptus postulare videatur? Jacuissent igitur tot et tam nobilia Ferrariensium ingenia, neque ad Majorum instituta, adque Civitatis disciplinam erudiri potuissent; jacuissentque hac in Urbe nobiliores artes atque scientiæ, neque mirabiles sui ardores ciere valuissent, nisi Academia hæc tot fuisset ornamentis, PATRIÆ PROCERES AMPLISSIMI, vestro recreata beneficio, ut ad veterem et priscam illam dignitatem revocata esse putaretur. Ea autem inter ornamenta tanto magis Bibliotheca eminet, quanto majorem, ejus institutione, non alicui scilicet Litteratorum generi, sed omnibus qui studia fovent, adtulistis utilitatem.

Nemo tamen summam beneficii vestri amplitudinem satis intelligere unquam poterit, nisi animum ad eam prius con-

ver-

verterit tempeſtatem, qua de publica conſtituenda Bibliotheca primum cogitaſtis. Te appello MASJ SAPIENTUM JUDEX PRÆSTANTISSIME, Te, inquam, appello, qui decem ante años hunc ipſum gerens Tribunatum, hac ipſa ornatus dignitate, quã tanto decore, tanta gloria, tam ingenti omnium Ordinum admiratione toties ſuſtinuiſti, quique tum primum hanc ad rem animum, mentem, curam et cogitationem admoviſti tuam; Tu, inquam, Tibi conſcius, quanti eam negotii, quantæ ſollicitudinis, quantæque difficultatis, rerum aſperitates, et anguſtiæ temporum efficerent. Vix enim pacem inter ſe inierant, ut ſe iterum in arma colligerent ſummi Reges, bellumque denuo finitimis in regionibus redintegrarent. Grave illud, diuturnumque futurum, ut revera fuit, proſpiciebat quiſque, Italiæ univerſæ, adeoque huic etiam Urbi exitioſum, quæ tametſi pacatiſſimo agat ſub Imperio, extraque belli aleam et ſortem eſſe videatur, non tamen extra belli damna, ſontes inſonteſque nullo diſcrimine obruentis; et quo circumſtrepente, aut tenui nimium, aut non ſua vi nixi, alicuius æque, ac neutrius ſtudio partis minuuntur. Dum igitur fit belli obtentus, bellique ſedes iterum Italia, dumque ea, tamquam aucuparia avi uſi Potentiores, acerbo quodam luſu, hinc rurſus ſuo expellendos auſpicio illos ſimulant, quos minime omnium expulſos volunt; dum denique exteræ Nationes ita ſuis commodis mala noſtra metiuntur, nihil ut tam durum, nihil tam moleſtum ſit, quod in bellica earum ſive proſpera, ſive adverſa fortuna non perpetiamur, quis de publica heic erigenda Bibliotheca cogitaſſet; quum ſimulatque increpuit ſuſpicio bellici tumultus, artes omnes noſtræ, omniaque præclara ſtudia ſoleant ubique conticeſcere? Verum, non eſt magni animi in felicitate, et fortuna cogitare ſublimia et excelſa: hoc eſt magni animi in calamitate et periculis grandia et maxima præſtare. Nullæ igitur anguſtiæ, nullæ ſiniſtræ temporum et rerum vices, aut tuum MASJ, aut tuorum Tribunitia in dignitate SUCCESSORUM animum frangere, aut a ſententia dimovere potuerunt. Non enim inſtitutum modo perſe-

persequuti estis, sed ea etiam ratione, ut illud et majestati hujus Urbis, et hujus Academiæ celebritati conveniret.

Siquidem mentibus circumspiciebatis vestris nuperrime erectas Italicis in Urbibus Bibliothecas, in maximis sane amplissimas magnificasque, in ceteris autem pro locorum ratione satis æstimandas. Itaque etiam atque etiam cogitabatis qualem Vos instituere deceret; posterioribus illis certe præstantiorem; cum prioribus autem jure conferendam. Ipsa etenim vestra hæc Patria, Deus immortalis! dici vix potest quantum decoris habet, quantum amplitudinis; quantum majestatis! In latissima uberrimaque planitie Padum inter utrumque assurgens, validissimisque circumsepta mœnibus, et arce munitissima protecta, qua perpetuarum latitudine viarum, qua transversarum elegantia ornatur! qua ædificiorum magnitudine et forma! qua celebritate templorum et ornatu! quo Nobilium splendore! qua Civium humanitate! qua omnium pudicitia et pulchritudine pene divina fæminarum! Hac in Urbe quot augustissimæ Curiæ! quot magnificæ plateæ! quot vetera bellicæ laudis Victoriæque monumenta! quot recentia præstantiorum artium et ingeniorum decora! quot pompæ et spectacula publica! qui Ludorum et Chorearum apparatus! quæ mœnium amænitas proceris undique arboribus geminato ordine positis consitarum, quarum gratissimo aspectu, quasi pabulo quodam, oculorum acies quamlibet fatigata reficitur! Urbis in medio, Arcis in modum, Regia eminet; cujus murum perpetua fossa et turribus ingentissimis quadrato latere ornatum lambentes aquæ lenocinanti ambitu circumplectuntur; eapropter inter mirabilia Opera Italiæ celebrata: Regia, inquam, Principum olim splendidissimorum sedes, nunc vero gravissimi prudentissimique Purpurati Patris, dignitatem a suprema primam præferentis, et Rempublicam Romana æque moderatione et majestate administrantis; quare Civitas hæc vestra præcipuas inter amplissimasque Italiæ Urbes jure et merito recenseri mereatur.

Hæc ipsa vero tanta Urbis vestræ dignitas et amplitudo; quale

quale olim fuerit hoc Atheneum manifestissime ostendit. Nam etsi multum ipsa Herculeæ debeat additioni, multum æque debuerit quondam Aulæ, quæ domesticis quamvis sæpenumerò diffidijs, et sævioribus lacessita bellis, nunquam ea neglexit tamen, quæ hujus ad decus Urbis et gloriam spectare videbantur; multum denique Summis Pontificibus, qui magnifica et splendida vestræ huic Patriæ pacis ornamenta addidere; qui eam tamen plurimum etiam Academiæ debere vestræ dubitaret, is ex sermone hominum recenti memoriam erueret rerum Ferrariensium, non ex Annalium vetustate. Ut enim ætate nostra ditantur amplificanturque Urbes, et incolis frequentantur Regiones, aut licentia Sacrorum omnium, aut copia mercium et frequentia Negotiatorum; ita tum cum Urbs amplificata est vestra, pro arcano Imperii illorum temporum, id consequi solum posse credebatur Academiarum Professorumque fama, et frequentia undique confluentium Auditorum; quod Principibus olim vestris adeo curæ fuit, nihil ut omiserint, quo celebrioribus Præceptoribus grandi pretio, et Discipulorum gregibus dulcedine honorum prolectatis, Academiæ incremento Urbem hanc incolis et opibus locupletarent. Ipsa vero de Academia quam honeste, quam præclare, quam egregie præstantissimi mortalium sensere! Andreas Alciatus, Vir maximus, Oratione hoc in Lycæo habita quum docendi munus auspicaretur, quanti illud faceret, his verbis significare non dubitavit: *Scribit Ammianus Marcellinus, Alexandrinæ Academiæ tantam fuisse olim existimationem, ut ad summam Artis peritiam ostendendam sufficeret si in ea se operam studiis dedisse quis prædicaret; quod et de hac Universitate dici potest, in qua olim tot egregii Viri, et quorum edita sunt Opera, ut Salicetus, Aretinus, Felinus, Cessalus, Riminaldus, idque generis alii professi sunt.* Jacobus vero Middendorpius, Libro de Academiis tertio, *tantoque majori amore*, inquiebat, *hanc Academiam Ferrariensem prosequi debemus, quanto plures Germanos erudivit, qui omne Doctrinarum genus in Patriam charissimam referrent.* Præconia præterea immensa, et laudes infinitas Atheneo huic ab exteris

etiam

etiam et longe dissitis Scriptoribus tributas, qui, vel sola Theodori Gazæ, et Guarinorum acti fama, Universitatem hanc, Studiorum matrem appellavere. Quam multas hac in ipsa publica Studiorum Æde veterum præstantissimorum Professorum habemus expressas coloribus Imagines, non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum; ut eos scilicet semper nobis proponentes, animum et mentem nostram ipsa cogitatione hominum excellentium conformemus!

Quoniam vero istum in sermonem delapsi sumus, aliud statim succurrit mihi, et quidem apertissimum, PATRIÆ PROCERES AMPLISSIMI, excelsi animi vestri, vestræque singularis magnificentiæ argumentum. Nempe deliberatum a Vobis est, publica ut hæc Bibliotheca non dignitati modo hujus Urbis, aut hujus Academiæ nomini congrueret, verum etiam harum Musis sacrarum Ædium majestati. Ejusmodi vero Ædes quam amplæ sunt, quam splendidæ, quam magnificæ, quam augustæ! Ipsæ Regium olim Alberti Principis Estensis Ædificium, ipsæ Iohannis Paleologi, Græcorum Imperatoris, hospitalis quodam sedes, Regia ipsæ sedes Purpuratorum Estensium fuere. Has vero postquam Majores vestri in usum bonumque publicæ Academiæ constituerunt, quibus etiam ornavere accessionibus! quo cultu in majus protulere! Heic Atria nobilissima, heic amplissima Gymnasia, heic pulcherrimum Theatrum Anathomicum, heic Architectonices Picturæque Scholæ, heic Hortus, ut dicitur, Simplicium, heic vetusti prostant lapides, et Romanæ Inscriptiones, heic Sacophagi, sculptæque Veterum Imagines, heic quæcumque demum in Urbe reperiuntur vestra, idonea cum artibus et scientiis proferendis, tum etiam illustrandæ Antiquitati monumenta. Hujusmodi vero in Ædibus tam magnificis, tam splendidis, tam augustis, eam, PROCERES GENEROSISSIMI, instituendam duxistis Bibliothecam, quæ non ab Ædibus, aut ab Academia decus sibi sumeret, sed novo potius ipsis esset Ædibus, maximoque Academiæ ornamento.

Jam vero, nulla videbatur esse ratione dubitandum, quin consilio par et animo futurus fuisset denique eventus. solet

enim

enim summis semper magnisque Viris ad amplitudinem et gloriam, et ad res maximas benegerendas natis, esse, inquam, solet adjuncta divinitus fortuna. Et profecto rem votis felicissime cessisse, fatentur jam nunc illi omnes qui in tam nobile Opus vel oculos conjiciunt. Primam siquidem totius Ædificii prothographiam facit rectangula Ichnographia: cujus tripla latitudinis ad longitudinem proportio; conveniens vero geometrica in orthegraphia architectonica altitudo; atque potissimum ob accuratam columnarum et parastatum distributionem; ob venustam Dorici ordinis firmitatem; ob Vitruvianam in epystilio, zophoro, et coronide acribiam; ob elegantem politamque arcuum et fornicum concamerationem; tum denique ob Picturarum scenographicam adumbrationem et sedulitatem; Emblematum decus et eruditionem; perfectam in deferendis Libris cancellorum partitionem; paucis dicam, ob concinnam singularum partium commensurationem atque præstantiam, commodum et ornamentum, ejusmodi est, nihil ut amplius addi, nihil ei demi posse, nihil in ea posse desiderari videatur. Vitruviana vero juxta præcepta Orientalem non modo ad plagam unus vergit hujus Ædificii prospectus, ad aeris scilicet salubritatem, ad Librorum conservationem, et ad usum matutini luminis, quod in utilitatem legentium confert maxime; verum etiam despectum habet in subsidentem Viridarii amænitatem, ad hilarandos animos nimia aliquando profundaque lectione et meditatione fatigatos; quare, non hujus modo Cives Urbis, sed exterarum etiam homines Nationum, qui illud sibi visendum constituere, immensas huic Ædificio laudes jure quidem optimo tribuendas esse censuerunt.

Neque tamen arbitremini, solam eos Ædificii pulchritudinem et majestatem fuisse admiratos. Maxima æque eos incessit admiratio de tam selecta, tam nobili, tam eleganti, tam magnifica Librorum copia omnis generis, omnium artium, scientiarum omnium, omnium Linguarum; habita tamen pretii Librorum potius, quam numeri; præstantiæ, quam copiæ; delectus, quam multitudinis ratione: qua equidem in

re quantum Studiorum utilitati consulueritis ; CURATORES REI LITTERARIÆ SAPIENTISSIMI , significari vix potest. Opprimitur siquidem ætas nostra inutili et intolerabili rudium indigestorumque Voluminum immensitate , quæ maximo esse solet progressui bonarum artium impedimento. Animadversum jam olim est , Alexandrum , quum, præter Macedonas suos , innumerabilem cunctæ Græciæ , universoque indicere potuisset Illyrico delectum , nunquam majores tamen quadraginta millium copias duxisse : inhabile regenti ratum quicquid ejusmodi numerum excederet , turbamque potius quam Exercitum. Eadem igitur vestra fuit, in delectu Scriptorum et Voluminum prudentia , turba imperitorum et vulgarium omissa et neglecta , receptisque in sinum Bibliothecæ solis jis, qui ad veram solidamque ducunt humanarum divinarumque rerum cognitionem. Horum certe inopia nos laborare non commisistis , MODERATORES PRÆSTANTISSIMI. Prostant heic namque Codices veterum præcepta Dialecticorum , summorumque exhibentes Orationes Rhetorum , et elegantiorum carmina Poetarum. Hi de re militari, illi de arte medendi pertractant, alii de regionum terrestrium scientia et maritimarum , alii de rerum principiis et caussis,aut recentioribus Philosophorum experimentis. Quot memoriam rerum gestarum continent! quot divinis de rebus et Legibus edisserunt! quot de communi Civium , de hominum , de Gentium jure, deque omni virtutis genere plane cumulateque agunt! adeo ut ars nulla, nulla scientia aut facultas prætermissa esse videatur. Itaque hoc in loco dici summo jure potest , disciplinas omnes commune quoddam habere vinculum, et mira cognatione inter se contineri ; omnesque Musas secum invicem chorum in eo exercere , se seque cantu suavissimo excipere ; quo sane ex concentu quis maximum adventurum dubitet Patriæ vestræ emolumentum?

Huic autem Musarum agmini Apollinem deesse suum noluistis , PATRIÆ PROCERES AMPLISSIMI, sed Virum celeberrimum, Johannem Andream Barottum , Civem vestrum,

strum, Bibliothecæ Præfectum constituistis, magnum hominem et excelsum, quem ipsa finxit Natura ad sapientiam, ad humanitatem, ad Patriæ Instituta, et ad omnes animi virtutes, veluti probitatis antiquæ absolutissimum exemplar. Itaque hoc etiam vestra maxima in laude ponendum est, illum Vos selegisse, qui maximam jamdiu Elucubrationibus sibi suis comparavit gloriam, quique ob Cives servatos Civicam jam indeptus est coronam; quare jure et merito Ferrariensium Musarum curam ei commisistis, qui Ferrarienses Scriptores tanto studio, tot laboribus, tantaque felicitate ab Invidorum morsu vindicavit. Maxima in laude vestra denique ponendum est, hoc Vos illi munus imposuisse, qui facile poterit tantum opus consilio regere et integritate tueri, suoque utilissimum efficere exemplo. Quid, tanto Ductore et Auspice, ab hoc ingeniosissimorum præsertim Juvenum cœtu non expectandum? Jam mihi videre videor selectissimam eorum manum, tamquam assidua in venatione, omnes hujus Bibliothecæ angulos, omnesque cancellos, acerrima indagine explorantem, quo optata humanarum divinarumque præda cognitionum potiatur. Eosdem mihi videre videor in feram sæpenumero incidentes, diligentia, industria, et constantia, omnia quæ hujusmodi venatorio in saltu aspera aliquando sunt, impervia, et condensa, facile demum feliciterque superare.

Sed jam modum Orationi intelligo ponendum, ubi initium ipsa sumere fortasse debere videretur; neque enim hæc multitudo ad audiendum convenit ut cognosceret ex me vestrum beneficium, aut illud quale sit, mecum fortasse recognosceret; sed satius ut de illo meis verbis gratias Vobis, si non meritis pares, ast saltem pares animo referret. Est enim bonorum Civium gratam habere voluntatem, gratumque testari in eos animum, qui tam bene de patria, deque communi utilitate meruerunt. Erarrent illi tamen, qui huic officio præstando multa a me verba iterum facienda esse existimaret. Quæ enim disertior gratiarum actio commemoratione ipsa beneficii? Non aliter debitas certe grates immortali Numini persolvimus.

Uti-

Utinam ego vero hoc monumentum tam ſplendidum, tam magnificum, tam ornatum pro dignitate celebrare potuiſſem. Utinam pro meritis ſignificare potuiſſem qua animi amplitudine, qua tempeſtate, quo loco, qua forma et elegantia, quo denique Bibliothecam hanc extruxiſtis apparatu. Utinam potuiſſem ſatis etiam oſtendere, eam revera non majeſtati modo hujus Urbis, quæ fama, quæ gloria, quæ doctrina, quæ pluribus artibus, quæ imperio et bellica etiam laude quondam floruit; nec antiquiſſimæ modo hujus Academiæ celebritati et nomini, ſed ampliſſimo huic etiam congruere Studiorum ædificio; utinam, inquam, hæc omnia ita narrare potuiſſem, ut qui huc ad me audiendum hodierna die acceſſere, muneri me ſatisfeciſſe meo arbitrarentur; ſumas tunc profecto Vobis, ACADEMIÆ MODERATORES SAPIENTISSIMI, habuiſſem gratias et im̄ortales. Verum quum ob exiguam dicendi facultatem ea omnia præſtare ipſe non potuerim, num quis propterea nos ingratos videri formidabit? Nunquam Cælites hanc alicui mentem duint. Vultus enim noſter, qui index eſt animi, quod Orationi defuit, ſatis, ut arbitror, exæquare poteſt; ipſaque muneris veſtri magnitudo, ac ſi aram teneremus, copioſe ſpondet confirmatque, obſtrictos Nos Vobis fore memoria beneficii ſempiterna..